

ILL^{MO} ET REVER^{MO} S.R.E.CARDINALI ROBERTO BELLARMINO Augustinus Pal=
lavicus F.

Foelicitatem alius alio modo, et suo apte ingenio quisque terminet: Certum est, Cardinalis Amplissime, intellectus vi homines constitui, ac à coeteris animantibus distare; hanc verò perfici, dum veritatem, quae ipsius bonum est, contemplatur, nemo ambiget, cum tacitus omnium consensus in hoc conspiraverit, teste Philosopho, ut quilibet natura scire desideret, cum etiam pueri in ipso vitae rudimento, dum anilibus fabellis imbuuntur, causas quaerant. Eapropter solus sapit, (debaechetur invidia, neque enim ea carere licet, dum tam superba peragitur censura) qui veritatem consectando in ea sui parte perfici curat, unde humanitas homini provenit, et totius hominis absoluta perfectio derivatur: nemo igitur inficiabitur hunc verè foelicem esse, cum foelicitas perfectionem involvat, et praeter eam sit nihil. Immo hinc triumphorum omnium lauream adeptum maiorem (quando plus est humani ingenii terminos in tantum promovisse, quàm imperii) mirari subit Aristotelem, qui hac sola ratiocinatione ductus Dei Opt. Max. foelicitatem deprehendit sui ipsius contemplatione finitam. Admitto, quod si verum facere iudicium volumus, ac repudiata omni ambitione decernere, mortalium nemo est foelix, atque indulgenter cum eo decerni, qui iure dici non infoelix potest, hunc ipsissimum illum esse, vel ex nolente extorqueam, qui foelicitatem extra telum fortunae locat, cuius ne illa lacessat metu semel recepto, quaecunque fugatur foelicitas. Adoptetur patriae oppugnatione, et civili sanguine in Foelicis cognomento assumptus Sylla, dum torqueatur, quòd Capitolium non dedicaverit, dum metuat, ne popularis aura, militum favor, Senatus auctoritas inter tot proscriptorum filios eum destituat, et iustae patriae, et civium ultioni tradat. Veritatis autem nullibi foecundio rem segetem rerum naturae contemplatione palam est, in qua licet nihil videri possit supervacaneum et audiendus sit Plinius perhibens rerum naturam nusquam magis, quàm in minimis totam

esse, veruntamen eius vim, et maiestatem in hominis anima, veluti totius naturae compendio statuas licet, quae veluti Divinae mentis participatio quaedam corpusculum illud informe in utero foetae mulieris primum nacta vivificat, miroque disponit opificio, dispositum opportuno tempore in lucem educit, eductum alit, alitum in modum perfectissimum auget, auctum (quantum in ipsa est) aeternum reparando conservat, nunquam senescens, nunquam deficiens, nullisque terminis circumscripta; sed modo ancillante ipsiusmet corpore, externisque rebus per sensus, veluti per angustissimos aditus rerum imagines intromittendo percipit, perceptas exprimit, expressas nullo cogente Deo ad sui ipsius libitum optat, vel adversatur; modo (quod magis mirere) rebus remotis, sed sola similitudinum reputatione circa easdem, non secus ac praesentes versatur; modo (quod supra omnem taxationem est) Deum ipsum aemulata seipsam aciem reflectendo contemplatur, et Prothei fabulas fide, et miraculo superans polypi instar in easdem ipsas res cognoscendo se transformat: unde merito a Philosopho nostro dictum deprehendas hominis animam potestate omnia esse. Haec, et caetera functionum munera, Cardinalis Illustrissime, Aristoteles suis tribus libris, quos de Anima inscripsit, persecutus est, ut nosti, sed suo more suboscure immortalitatem illis hac via prorogari arbitratus (nulla enim in parte operosior ei vita fuit) et quantum viribus naturae potest, in omnibus rem acu tetigit. Fateor in aliquibus, quae immortalitatem animae tangunt, illum longe aberrasse: nec caret patrocinio; viribus naturae altius attolli nequivit, mortales in praemium castigante Natura, ne animal a lachrymis, vinculisque vitam auspicatum, et adhuc superbum reputatione futurae immortalitatis superbiret licentius. Hos ego de more paraphrastice sum commentatus, non ut dolium in Cranio vultem, sed ut aliqua ex parte eorum industriam sublevem, qui his addicti non sectantur vulgaria. Tibi potissimum, Cardinalis Amplissime, dicatos volui, ut quibus fidus socius in Peripatetica Philosophia adfui, porticum ipsam verborum, sententiarumque vepribus obsitam liberando, eisdem consultor adessem fa-

tiscentis vastos hiatus praecavendo, ostendendoque perfugia, cum iniquum plane sit, quos ope iuverim, consilio destituisse, nisi videri velim ideo iuvisse, ut perderem. Tu igitur (ea enim es sapientia, ut possis: ea animi, morumque facilitate, ut velis) eos manu apprehensos per sacros Theologiae campos Dei revelatione complanatos, inoffenso pede perducendo docebis, spirandi rationem homini a coeteris animantibus distare, vitamque morte iterari ne dicam auspiciari, et dulce quidem esse vivere, sed dulcius secundum rationem vixisse, aviditatemque nunquam desinendi mortalium pectoribus ingenitam frustra non esse, sed immortalitate terminari. Nec purpura illa nigrantis ^{romae} saepe colore sublucens a fulgore eorum oculos tantum perstringet, quantum mores a benignitate animos allicient, cum nihil aliud in te mutaverit fortunae amplitudo, nisi ut prodesse tantundem posses, et velles; id quod etiam me in hoc proposito nominatim dicandi tibi hos meos labores confirmavit: nam alias, cum publica sit eruditorum reiectio, Tullii testimonio reiecissem potissimum te, virum illum, qui praeconium omne infra Illustriss. nomen Cardinalis Bellarmini ingenii viribus posuisti: hac fiducia es in hoc albo, non iudex, sed advocatus; et licet maiorem te sciam, quam ut descensurum huc putem, solo nominis patrocinio securus ero: id largire, ut praefigere tantum liceat; nec mirere iam praefixisse; is erga me semper fuisti, cum Romae commorabar, ubi saepius me in tuos familiares excepisti, ut praeoccupare audeam veluti concessa, quae nondum petii. Vale, precarer interim a Deo Opt. Max. id, quod universae Reipublicae Christianae fructuosissimum futurum spero, nisi cognoscerem id tibi fore aequè gravissimum.

Aug. Pallavinini Francisci F. Patricii Genuensis, EXPLANATIO PARAPHRAS-
TICA in libros Aristotelis de Anima. Ad Illustriss^{imum} Bellarminum.
Mediolani, Typis haer. Pacifici Pontii, et Io. Bapt. Piccalei soc. M. DC. X.